

270

XIII

εὐφραδία γὰρ ἀνὰ

*Adornatissimum doctissimumq̄,  
virum*

**Dn. MICHAEL  
LEM LEDERE**

*rum Torgensem,*

*LL. Candidatum, nuptias*


*Cum honestissima & lectissi-  
ma foemina,*

**BLANDINA,**

*Clariss. & excellentiss. viri Dn. CASPA-  
RIS KELHEIMERI, Medicinae D. Principalis  
Pomeranici, & reipub. Colbergensis olim medici, pie defun-  
cti, relicta vidua, pridie nonas Februar.*

*celebrantem,*

*Decantatae ab amicis.*



W I T E B E R G A E,

Typis Martini Henckelij, Anno CHRISTI

M. D. C. VI.





## Ad Sponsum.

**H**ACTENUS ut decuit, studium L E-  
DERERE dicasti  
Sacrae Themidi, sinuosa volumina  
legum,

Quarum secretos solvat vix Oedipus ipse  
Sensus, voluisti, prudensq, enigmata nosti:  
Hinc te Astraea brevi titulis & honore beabit,  
Quæ meruit virtus, labor atq, industria summa.  
Nunc Veneris mens est, hortos invisere letos,  
Quos junctâ viduâ nulli virtute secundâ  
Excoluisse cupis: Faveat conatibus opto,  
Nec jubeat fructu cassos tot abire labores  
Ipse Deus, qui connubij est & fundus & autor:  
Ipse velit, longos vos vivere Nestoris annos,  
Vivere concordēs, faustos, in amore fideles;  
Maxima sic thalami capietis gaudia cepti.

Andreas Waffæus LL.  
Studiofus,

A 2

Nuper

**N**uper in umbriferà MICHAEL convalle  
sedebas,

Quà rigat apricos frigidus Albis agros:  
In partes varias agitabas turbine mentem,  
Vrebat pectus plurima cura tuum.

Nam dubius fueras, & multum corde putabas,  
Qua via nam vitæ nunc inennda tibi!

Expertem thalami satius num vivere vitam  
Esset, & in Musis consensuisse tuis!

At postquam tali fervent tua pectora curâ,  
Incertusq; manes, qua sit eunda via!

Ecce Deæ veniunt, quales sub vallibus Ida  
Iudicio fecit lite carere PARIS.

Harum prima tibi verbis blanditur amicis,  
Promittitq; TAGI nobilioris opes:

Alter a mox sequitur, sacra cui sapientia cura,  
Promittit Sophia munera larga tibi:

Tertia sed pharetrata venit, tibi vellicat aurem,  
Et taleis blando promit ab ore sonos:

Multa laborifero tribuisti tempora Pindo,  
Qui patet Aoniis Castaliisq; choris:

Namq; per octo annos sinuosa volumina juris  
Voluisti assiduâ nocte dieq; manū:

Quippe

Quippe affectu factis extendere famam,  
Nec non & titulis clarior esse tuis.  
Iam voti es compos; summa ad fastigia honorum  
Te sacri juris virvida flamma vehet.  
Ergo quid ulterius? jam jam mea castra sequaris,  
Robur adhuc membris dum juvenile viget.  
Florida nam tacito passu mox defluit aetas,  
Atq; venit celeri curva senectus pede.  
Incertos igitur casus meditare iuventa,  
Namq; brevi faciem ruga senilis arat.  
Hic ubi sermo tuas sese libravit ad aures,  
Dicis; Parebo jam Cytheraea tibi.  
Cypria te rursus verbis affatur amicus,  
Atq; refert tali blandula verba sono:  
Ergo jam vicis? jam jam, mea castra sequeris?  
Intrabisq; sacri foedera casta tori?  
Foedera casta tori: quare **BLANDINA** decora  
Iungetur lateri dulcis amice tuo.  
Nestoris haec tecum feliciter exiget annos,  
Atq; tuis labris oscula mille dabit:  
Dulce levamen erit curarum, pectora mœsta  
Mulcebit verbis foemina blanda suis.  
Quin etiam pulchra faciet te prole parentem,  
Sapeq; praebebit lactea colla tibi. Ergo

*Ergo vigete ambo vivacis ad instar olive,  
Vincite Mithusalah tempora longa senis.  
Sic ait, & subito tennes ceu fumus in auras  
Avolat, & celeri clam pede carpit iter.*

**Iohannes Modlig SIL.**  
I. V. S.

**M**overat ambiguam Themidi litem alma  
Dione,  
Utraq; Ledrero dum sua dona parat.  
Sic Themis: ille meus, qui tesqua per a via ductus,  
Ad mea tam vigili templa labore litat.  
Ille meus; duplicis qui immensa volumina IURIS  
Assiduis manibus volvit, & accubuit.  
Dignus hic antlato cui digna labore brabeja  
Deproperem, doctis annumeremq; viris.  
Arridens Venus, at vel solo tempore vincam,  
Subijcit, & nato precipit aligero:  
Huic ut conciliet formam & virtute venustam  
Fœminam, in illius quæ foret apta torum.  
Paruit hic; atq; en Ledrere è millibus una  
Multis electa est Sponsa decora tibi:

*Cui*



*Cui Venus egregium vultus afflavit honorem,  
 Excoluit Pallas pectora mille bonis.  
 Quid superest? clara acclamemus voce Hymenæū:  
 Votaq; conceptis juncta sonent precibus:  
 Unus Amor Lecti quos perpete fœdere junxit,  
 Hos nec scæva suis didat Eris faculis;  
 Nec viduet propero fato Libitina! sed ævum  
 Longum Iova opibus progenieq; beet.*

**Iohannes Bornicius.**

**V**ix miq; cæterisq;  
 Legum solemus unâ  
 Scrutarier recessus  
 Qui, pulpitem tigillo,  
 Emortuaq; pinu,  
**Q**UO **C**ORPUS illocennus  
**J**URIS, datum est habere.  
 Sed ecce fama dicat,  
 Præ meque cæterisque,  
 Tecum solemus una  
 Scrutarier recessus  
 Qui jurium Sacratos,  
 Tibi datum vel ipsa  
 E carne succiplena,  
 Nunc pulpito celebre  
**J**URIS locare **C**ORPUS.  
 Hoc quid? quid hoc novorum?  
 Præ cæteris opimo  
 E carne succiplena,  
 Te pulpito fruisci?

Quam plurimum beatus!  
 Datum cui sorte tali  
 Frui insolentiore!  
 Nam pulpitem hoc, ut ajunt,  
 Pectusculum fovebit  
 Studio tuam sagaci,  
 Et promptiore nisu  
**C**ORPUSCULUM levabit  
 Item, tuam parum nec  
 Membranulam juvabit.  
 Non pulpitem vicissim  
 Tantum piens amabis?  
**B**YRSEUSQUE cum voceris,  
 Non pulpiti decori  
**M**EMBRANULÆ locabis  
 Curam celebriorem?  
 Sic factitabis: illud  
 Namq; exigunt amici,  
 Et flagitat Cupido;  
 Sic imperat Cythere.

*Simon Mann Stirensis Austrius, LL. Stud.*

## S O N N E T.



N peut bien aysement par apparentz effectz  
juger quelle vertu, les Dieus en la naissāce  
Distillēt aus mortelz, par celeste Influāce,  
Pour guider le vouloir a toutz divins ob.

Puis qu' en toy, ô Michel, en plusieurs subjectz, (jectz.  
On voit appertement, de quelle providance,  
Tes effectz, & tes meurs, selon la conscience,  
Sont conduitz au vouloir de tes divins projectz.

Car ayant eu le los dela vraye doctrine  
Tu as aussi voulu par volonté divine  
T'annexer al' honneur du lien conjugal;


Ainsi donc a jamais, Michel, ta fiancée  
Vueilles les Dieus ouyr la divine pensée  
Et benir chacun jour de ton cours nuptial.

*Petrus de la Grange*  
*Parisiensis.*

## F I N I S.



List det. nr. A 575



*[Faint, illegible blind-tooled text or decorative patterns on the cover]*